

XXIII. Similem conditionem experimur in Studiis Oratorii: ubi postquam varias persecuti sumus regulas, variis etiam exemplis imitationem & liberam & adstrictam adjuvare studuimus, tantus sequitur ingenii consensus, ut velut in re sibi notissima liberè postmodum inveniatur, disponatur, eloquatur, & ea sæpe excogitet, de quibus nec Præceptores, nec alii scriptores monuerunt quicquam.

XXIV. Ergo sufficit definitionum, divisionum, demonstrationum, dispositionum, interpretationum & controversiarum exempla sedulo exercere, donec admonitus suæ virtutis animus, proprio conatu similia tentare discat. Et hoc casu dari facile potest discipulus, qui superet Magistrum: si cognitis artificiiis meliori postmodum ingenio praxin aggrediatur. Sic optimus non est Logicus, qui totum disciplinæ systema habeat in memoria; sed qui tantum exercuerit regulas, quantum excitando animo, & perficiendæ Logicæ, jam in animo positæ, satis fuit.

XXV. Cæterum ista qui perpenderit, vix mirabitur, & Logicam & Oratoriam nostram aliquanto prolixius esse conceptam. Quippe prolixitas non venit à regulis, quarum tamen multas sæpe, pro diversitate discentium, vel non attingimus, vel negligentius intuemur: sed quia negotium adeo præclarum succedere non poterat, nisi plenus adesset exemplorum apparatus, qui latentem in cujuslibet natura sive Logicam, sive Rhetoricam excitaret; ea demum causa fuit, ut in diffusam quoque tractationem vel nolentes aut nescientes abriperemur. Sed de Logices naturâ tantum proposuisse sufficiat.

## CAP. II.

### QVOS INTELLIGAMUS HOC LOCO NOBILES VEL POLITICOS.

#### I.

**D**Um à nobis mentio fit Nobilium & Politicorum, facile constabit, eos intelligi, quorum studia sic instituuntur, ut opus habeant Logicâ; & quos adhuc prima Disciplinæ distinent ele-